

Utrum divinum et increatum esse alicuius per se partem informantem esse sit possibile. Arguitur quod sic: Deus potest esse forma substantialis alicuius rei, igitur questio vera, consequentia nota, quia forma substantialis est vere, et per se pars compositi et patet antecedens per Athanasium, in simbolo dicentem quod sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus. Anima autem rationalis est forma substantialis carnis, igitur et Deus est forma substantialis hominis.

Ad oppositum arguitur sic: omne totum est maius et perfectius sua parte, igitur questio falsa. Patet consequentia, quia mihi potest esse Deo maius vel perfectius. Antecedens docet experientia.

Respondeo pro solutione questionis ponendo conclusiones. Prima conclusio est quod nec Deus nec aliquid eius potest esse pars alicuius rei sic quod eiusdem rei sit forma substantialis. Probatur tripliciter.

Primo sic: nulla res alia a Deo potest esse infinite perfectionis intensive et simpliciter, igitur Deus nullius rei potest esse forma substantialis. Patet antecedens, quia creatura tunc posset esse Deus, quod implicat. Et consequentia patet, quia quelibet res est tantum perfecta vel plus quanta est perfectio sue forme substantialis.

Secundo sic: omnis forme substantialis operatio competit composito, sed aliqua operatio deitatis non potest competere alicui alteri quam Deo, igitur Deus non potest alicuius rei esse forma substantialis. Maior patet, ut puta, quia anima intellectiva que est for- (46vb) ma substantialis hominis intelligit. Dicimus quod homo intelligit etiam de singulis. Patet minor, quia creare omnem creaturam non potest competere alicui creature, quia tunc esset verum dicere quod talis creasset se ipsam, quod est impossibile et contra Augustinum 1 De trinitate capitulo 1.

Tertio sic: ex Deo et creatura non potest fieri aliquod per se unum, igitur. Conclusio vera, consequentia patet, quia ex forma substantiali et illo cuius est forma sit per se compositum unum. Et patet antecedens, quia si sic, tunc illud tale unum aut erit creator, aut creatura. Si creator, igitur creatura est creator, quod est falsum. Si creatura, igitur creator est creatura, quod similiter falsum est.

Nec valet dicere quod in quantum forma est creare, sed in quantum informatum erit creatura, quia tunc non esset per se unum. Et confirmatur, quia ex substantia et accidente non potest fieri per se unum, igitur nec ex Deo et creatura. Et patet consequentia, quia maior distantia est inter Deum et creaturam quam inter substantiam et accidens.

Contra conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic: Deus potest esse subiectum aliquorum accidentium, igitur et forma substantialis alicuius. Consequentia nota, quia primum minus videtur esse verum quam secundum, et tamen est. Probatur antecedens, quia illud est subiectum accidentium in quo multa sunt accidentia. Deus est huiusmodi, igitur. Patet minor, quia in Deo est creatio, actio, dominatio et conservatio et multa talia que solum ex tempore dicuntur de Deo, et quod talia sint accidentia apparet, quia potentie predicantur de Deo accidentaliter. Secundo quia possunt Deo adesse et ab esse preter ipsius corruptionem.

Secundo sic: Deum esse formam substantialem alicuius non implicat contradictionem, igitur. Consequentia patet, quia potest facere quicquid fieri non implicat. Patet antecedens inducendo per singula.

Tertio sic: Deum esse formam substantialem alicuius dicit perfectionem, igitur. Patet consequentia, quia quicquid dicit perfectionem est Deo attribuendum. Sed patet antecedens, quia dare perfectionem alicui non dicit imperfectionem in dante, sed magis perfectionem, sed informare aliquid substantialiter non est nisi illi dare perfectionem, igitur.

Respondeo: ad primum dico quod accidens accipitur dupliciter. Uno modo pro re alicui inherente que non est de substantia eius sicut albedo dicitur accidens hominis et accidens sic non est in Deo tanquam in per se subiecto eius. (47ra)

Alio modo per aliquo termino predicabili contingenter de aliquo, sic quod illud de quo predicatur potest vere esse predicatione illa falsa existente, sicut dicimus 'Socrates est edificans vel edificator' et sic multa accidentia predicantur de hoc nomine 'Deus' ut puta 'Deus est creans', 'Deus est dicens', et huiusmodi et talia accidentia licet predicentur accidentaliter, tamen non sunt in Deo tanquam in subiecto.

Ex istis, ad argumentum primum nego antecedens. Ad probationem dico quod illud in quo sunt accidentia primo modo dicta bene est subiectum accidentium, sed non aliis. Tu autem probas de aliis modis, et non de primo.

Ad secundam probationem, quia posunt adesse et abesse Deo, dico quod falsum est, quia creatio activa et dominatio non est nisi ipse Deus creans. Deus autem non potest adesse et abesse Deo.

Ad secundum, nego antecedens, immo dico quod implicat creaturam esse creatorem, ut patet in omnibus argumentis factis pro conclusione, et ita implicat quod creatura sit Deus.

Ad tertium, nego antecedens. Ad probationem, dico quod aliquid dare alteri perfectionem intelligitur dupliciter. Uno modo per modum agentis, et sic dicit perfectionem et Deo competit. Alio modo per modum forme informantis et inheretis, et dicit imperfectionem et Deo non potest competere.

Secunda conclusio est quod Deus nec aliquid eius potest esse pars alicuius rei, sic quod eiusdem rei forma sit accidentalis. Probatur tripliciter. Primo sic: si conclusio non sit, vera sequitur quod Deus possit esse formalis nostri intellectus cognitio. Consequens est falsum, quia omnis cognitio est accidens informans intellectum, et ab ipso dependens in genere cause effective, ut dictum est superius quaestione 5, conclusione secunda.

Et consequentia patet, quia tantum vel plus videtur hoc possibile de actuali cognitione, sicut de qualibet alia forma accidentali.

Secundo sic: si conclusio non sit vera, sequitur quod Deus possit esse formalis volitio anime rationalis. Consequentia patet, ut prius, sed consequens est falsum.

Quia si Deus posset esse formalis volitio, quia anima velet aliquid et non magis una quam alia vel unius quam alterius, sequitur quod Deus posset esse odium Dei, et quod posset esse volitio demeritoria et odium proximi, immo et omne peccatum cum omne peccatum saltem commisionis consistat in actu voluntatis, que omnia sunt absurda.

Tertio sic: si conclusio non sit vera, sequitur quod Deus possit esse formalis beatitudo cuiuslibet (47rb) beati. Consequentia tenet, ut prius. Sed consequens est falsum, quia tunc eadem ratione posset esse formalis damnatio cuiuscumque damnati, etiam quia tunc anima beatificaretur et non per substantiam suam, ut patet nec per aliquem actum ab ipsa ellectum.

Contra conclusionem arguitur tripliciter. Secundum tres materias tactas in tribus argumentis pro conclusione. Primo sic, ex materia primi argumenti. Deus potest esse formalis intellectio anime rationalis, igitur Consequentia nota, antecedens probatur, quia anima

rationalis creata potest omnia cognoscere que novit Deus et distincte, igitur et eius intellectio potest esse increata intellectio. Patet antecedens de anima Christi, que secundum Magistrum libro 3 distinctione 24, scit omnia que Deus scit et distincte, licet non ita clare. Et patet consequentia, scilicet quod ex hoc eius intellectio est increata, quia intellectio intelligens infinita est infinite perfectionis. Nulla autem creata intellectio potest esse infinite perfectionis.

Secundo sic: ex pateria secundi argumenti. Deus potest esse formalis volitio anime nostre, igitur. Consequentia nota, sed probatur antecedens, quia anima Christi voluit volitione increata. Per hoc enim solum probari potest et non aliter quod ipsa non poterat peccare unita verbo, quia contradictionem implicat quod anima velit volitione que Deus est, et velit oppositum illius quod Deus vult eam velle, vel quod male velit. Et nullam contradictionem implicat quod per volitionem que non est Deus ipsa possit male velle. Ipsa autem Christi anima verbo unita nullo modo poterat male velle, ut ait Magister, libro 3, distinctione 12, igitur sequitur quod eius volitio formalis fuit Deus.

Tertio sic: ex materia tertii argumenti Deus potest esse immo de facto est formalis beatitudo anime Christi, igitur consequentia nota. Sed probatur antecedens, quia beatitudo anime Christi secundum sanctos est tanta quod maior esse non potest, et merito, quia beatitudo essentialis correspondet gratie, gratia autem anime Christi fuit tanta quod Deus maiorem ei non potuit dare, ut ait Magister libro 3, distinctione 13, igitur talis Christi formalis beatitudo fuit increata. Patet consequentia, quia omni beatitudine data Deus maiorem et perfectiorem potest creare, igitur.

Respondeo ad primum negando antecedens. Ad probationem dico quod aliqua creatura potest cognoscere omnia que novit Deus, sed non ita clare et perfecte sicut Deus, et hoc per cognitionem creatam ipsam vere informantem, nec talis cognitio esset infinite perfectionis in esse (47va) et formaliter, sed forte solum objective quia infinita cognosceret.

Et si arguatur contra, cognoscere unum est alicuius perfectionis. Cognoscere duo est maioris perfectionis, igitur cognoscere infinita est infinite perfectionis. Dico tripliciter primo quod cognoscere duo per duo obiecta distincta et in proprio genere ceteris partibus est maioris perfectionis quam solum unum cognoscere. Dico secundo quod cognoscere, duo vel mille, vel infinita non in se, sed solum in quoddam uno obiecto illa representante non est maioris perfectionis quam solum cognoscere illud obiectum unum. Dico tertio quod si anima Christi cognoscit omnia que Deus hoc non cognoscit per distincta obiecta, sed per unicum solum obiectum. Aliter dicitur ab aliis, scilicet quod posito quod anima Christi cognoscat omnia que Deus, non tamen cognoscit infinita, sed solum infinita cognoscit, et ex hoc non sequitur quod eius cognitio sit perfectionis infinite.

Ad secundum nego antecedens. Ad probationem dico quod licet Christus in quantum Deus voluerit volitione increata, tamen in quantum homo voluit tantum volitione creata. Et cum probatur quod non, quia tunc manens unita verbo potuisset peccare, quia hoc non implicat contradictionem de quacunque creata colitione, dico ad hoc primo quod multa sunt impossibilia ex Dei ordinatione que tamen in natura sua absolute non implicant contradictionem, ut quod Lucifer salvetur, vel quod beatus damnetur, et sic dico quod erat impossibile animam Christi peccare, non quia in se implicaret.

Secundo dico quod aliqua voluntas creata potest tantum repleti gratia et in tantum confirmari in bono, quo erit impossibile stantibus dictis conditionibus ipsam peccare et quod implicaret contradictionem, et sic est de anima cuiuscumque beati stante sua gratia et

beatitudine et sic fuit de anima Christi que a principio sue conceptionis habuit summam gratiam et Dei visionem beatificam, et ideo licet non implicaret ipsam peccare et male velle volitione creata in quantum volitio creata erat absolute, tamen implicabat in quantum erat gratia plena et beata et in bono confirmata erat sua anima a qua talis volitio procedebat.

Ad tertium nego antecedens. Ad probationem si quis teneret quod gratia anime Christi fuit infinita eodem modo posset dicere quod eius formalis beatitudo fuit infinita, et ex hoc non sequitur quod fuerit beatitudo increata, sicut non sequitur etiam quod gratia anime eius fuerit increata (47vb) et ad probationem quia omni creato potest Deus maius facere, dico quod verum est si non sit repugnantia ex parte termini, sic autem esset in proposito, quia esset expressa repugnantia dicere quod aliquid sit maius infinito ex ea parte qua infinitum est vel potest aliter dici quod simpliciter gratia anime Christi nec eius beatitudo formalis fuit infinita. Et ad probationem dico duo.

Primum quod gratia anime Christi de potentia Dei absoluta Deus potuit et potest maiorem facere, et similiter de eius formali beatitudine. Dico secundo quod Deus de sua potentia ordinata maiorem gratiam non potuit facere quam fuerit gratia anime casti et consimiliter de eius formali beatitudine, quia ordinavit non creare.

Maiorem gratiam nec beatitudinem illa. Ad dictum magistri dico quod loquitur in secundo sensu, scilicet de potentia ordinata.

Tertia conclusio est quod Deus potest esse pars causativa alicuius actionis sic quod eiusdem non erit causa totalis. Probatur tripliciter. Primo sic: aliqua actio insimul potest procedere a creatura et a Deo tanquam a suis effectivis causis, igitur. Consequentia de se nota, sed patet antecedens, quia omnis actio creature est effective a creatura et a Deo, quia Deus est effectivus omnium ab ipso, ut patuit secunda conclusione prime questionis.

Secundo sic actionis creature voluntas Dei est effective et non totalis, igitur partialis consequentia nota, sed antecedens patet quoad primam partem per Magistrum libro primo distinctione 45 dicentem quod voluntas Dei est causa omnium.

Quoad secundam partem, scilicet quod non sit totalis causa patet, quia aliter illa actio non diceretur actio creature.

Tertio probatur per Magistrum, libro 2 distinctione 27, dicentem quod omnia nostra merita et a Deo sunt, scilicet effective et a nostro libero arbitrio. Sequitur igitur quod meritorum nostrorum Deus est causa non totalis, sed partialis, est igitur pars etc, ut dicit tertia conclusio.

Contra conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic: omnis pars causativa est pars alicuius cause totalis, sed Deus non potest esse pars alicuius cause totalis, igitur non potest esse pars causativa. Maior patet, quia sicut non potest dici pars nisi per respectum ad totum, sic nec pars causativa nisi per respectum ad aliquam totalem causam. Sed minor probatur, quia si ponatur causa aliqua totalis cuius Deus sit pars, quero aut illa totalis causa est precise Deus, et tunc Deus esset totalis causa, et non parcialis, aut est precise creatura, et tunc Deus nullo modo erit causa illa nec pars eius, aut est compositum ex Deo et (48ra) creatura. Sed hoc non potest esse. Quia quero de illo composito aut est Deus, et sic creatura esset Deus, aut est creatura, et sic Deus esset creatura quorum utrumque est falsum.

Secundo sic: Deus est infinita causa, igitur non potest esse alicuius cause pars. Antecedens notum ex fide. Et patet consequentia, quia nullum infinitum potest esse alicuius pars 3 Phisicorum cum omne totum sit maius sua parte.

Tertio sic: si Deus sit causa principalis alicuius effectus creature et creatura alia causa partialis, quero tunc aut Deus est causa principalis et creatura causa secunda. Et hoc non, quia tunc sequeretur quod nulla creatura in sua actione esset libera. Patet consequentia, quia tunc ipsa Deo agente ad effectum non posset non agere, et Deo non agente ipsa non posset agere, aut creatura esset causa principalis et Deus causa secunda. Et hoc non, quia tunc sequeretur quod Deus in nulla actione sua esset liber eodem modo arguendo sicut de creatura.

Respondeo pro solutione primi. Est notandum quod aliquid dici causa partialis potest intelligi dupliciter. Uno modo quia est pars alicuius rei que est una causa totalis et isto modo caro potest dici causa partialis peccati. Similiter et anima, quia sunt partes hominis qui est causa peccati. Alio modo dicitur causa partialis quia aliquid effective causat, quod tamen non se solo causat, sed aliquid aliud cum illo, non quod sit aliqua una res que sit totalis causa. Modo ad argumentum dico quod procedit de partiali¹ causa solum primo modo dicta, et non de partiali causa secundo modo dicta. Dico autem Deum esse causam partialem secundo modo et non primo.

Ad secundum dico eodem modo etc.

Ad tertium dico quod Deus est causa parcialis et principalis et creatura est causa secunda. Ad probationem nego consequentiam. Immo cum hoc stat libertas creature ad agendum et cum dicitur quod non, quia tunc Deo agente creatura non posset non agere, dico quod cum hoc quod Deus concurrat cum voluntate ad volendum a et cum hoc quod Deus agit voluntas potest non agere ne clarius fuit dictum in solutione tertii argumenti contra tertiam conclusionem prime questionis.

Posset etiam dici quod non valet ista consequentia Deo agente ad actum voluntatis voluntas non potest non agere, igitur non libere agit, quia cum hoc stat quod complacenter agat et in complacentia stat nostra formalis libertas, ut dictum fuit in solutione argumentorum contra primam conclusionem 4 quaestionis.

Ad argumentum principale in oppositum, nego antecedens. Ad Athanasium dico quod quando dicit sicut anima rationalis et caro unus est homo etc, li 'sicut' non denotat similitudinem in hoc quod sicut anima est forma substantialis carnis quod sic sit Deus Christi hominis sed in hoc stat sua similitudo quod sicut anima rationalis et caro insimul sunt unus homo et unum suppositum, quod sic etiam Deus et ipsius Christi humanitas solum sunt unus homo et non plures unum suppositum et non plura.

Utrum quelibet persona eternalis cuilibet persone eternali in omnibus sit equalis. Arguitur quod non nulla divina persona est quanta, Igitur questio falsa. Patet consequentia, quia equalitas non potest esse sine quantitate, per Philosophum in Predicamentis, dicentem quod proprium est quantitati secundum eam equale vel inequale dici. Antecedens patet, quia quantitas est quoddam accidens et in Deo nullum est accidens, ut ostendit Magister libro 1 distinctione 8.

Ad oppositum est Athanasius in simbolo, dicens in hac trinitate nihil prius aut posterius, nihil maius aut minus etc., sed tote tres persone sibi coeternae sunt et coequales.

Respondeo ponendo conclusiones tres. Prima conclusio est quod quelibet persona eternalis cuilibet persone eternali in potentia est equalis. Probat tripliciter. Primo sic: quelibet persona eternalis est omnipotens, igitur consequentia nota, quia qui omnipotens est, omnia

¹ Apare "parciali" si "partiali"

potest, et qui potest omnia non habet superiorem se in potentia, nec inferiorem, nisi aliquem qui non possit omnia. Si igitur a est omnipotens similiter et b, et a non possit plusquam b nec minus, sequitur quod a et b sunt equales in potentia. Sic in proposito, sed antecedens patet, quia omnipotens pater omnipotens filius, omnipotens spiritus sanctus, ut dicitur Simbolo.

Secundo sic: in quibuscumque est infinita potentia illa sunt equalia in potentia, sed in qualibet persona eternali est infinita potentia, igitur. Maior patet, quia sicut due linee si essent infinite, una non esset maior, nec minor altera. Sic et habentes infinitam potentiam sunt equales in potentia. Sed patet minor, quia potentia divina est idem quod ipse Deus, ut ait magister libro 1, distinctione 8.

Tertio sic: una eternaliter persona non est potentior vel impotentior alia, igitur sunt equales in potentia. Consequentia nota, quia ubicumque est inequalitas, ibi est aliquis excessus ab una parte, et defectus (48va) ex alia. Antecedens patet per Magistrum in ista distinctione 20 capitulo 1, etiam conclusio in se per Magistrum probatur in tota ista distinctione.

Contra conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic: aliqua persona eternalis habet aliquam potentiam quam non habet alia, igitur conclusio falsa, consequentia nota, sed patet antecedens, quia pater habet potentiam generandi filium et hanc potentiam non habet filius, quia si haberet posset generare filium et cum in eternis non differat esse et posse, 3 Phisicorum, textu commenti 23, ipse filius de facto generaret alium filium, quod est erroneum.

Secundo sic: aliqua persona eternalis est omnipotens, igitur. Conclusio falsa, consequentia nota, sed probatur antecedens: quantum ad primam partem, quia pater est omnipotens, quantum ad secundam. probatur, quia spiritus sanctus non est omnipotens, quod sic probatur: Illa persona non est omnipotens a qua removetur maxima pars potentie, sed a persona spiritus sanctus removetur maxima pars potentie, igitur non est omnipotens. Maior de se nota, sed minor apparet.

Quia cum potentia habet duas partes, una sit respectu producti eterni, alia respectu producti temporalis et magis sit producere eternum quam temporale, et ipse spiritus sanctus, licet possit producere temporale, non potest tamen producere eternum. Sequitur quod maior pars potentie ab ipso removetur.

Tertio sic aliqua persona eternalis habet potentiam a se et non ab alio et aliqua habet potentiam nullo modo a se, sed ab alio, igitur non sunt equales in potentia. Consequentia patet, quia habere a se et havere ab alio non est equalis modus habendi. Et antecedens patet, quia pater habet suam potentiam a se et filius a patre.

Respondeo: ad primum nego antecedens, immo dico quod omnem potentiam quam habet una persona habet alia. Ad probationem, cum dicitur quod filius non habet potentiam generandi quia posset generare, dico quod filius in se habet potentiam generandi, et si non possit alium filium generare hoc non est ex defectu potentie in ipso existentis, sed ex maxima perfectione ipsius potentie. Ratio autem quare potentia generandi que est in filio in ipso non potest reduci ad actum generationis est quia illamet numero potentia generandi que es in filio habet terminum infinitum sibi adequatum in alio supposito, scilicet in supposito patris, et ideo repugnat illi potentie habere alium terminum cum primus sit sibi (48vb) adequatus hoc autem quod illa potentia habet terminum sibi adequatum est ex maxima perfectione ipsius potentie et sic quod filius non possit per potentiam quam habet generare non est ex defectu potentie, sed ex maxima perfectione eiusdem.

Dico secundo quod argumentum non concludit quod persone eternales non sint equales in potentia, sed solum concludit quod aliquis actus secundus potentie est in una persona et non est in alia, quod satis catholice conceditur.

Dico tertio quod esto quod filius possit generare per potentiam generandi quam habet, non sequitur quod de facto generasset eternaliter, non plusquam sequitur 'filius per potentiam quam habet potest creare, igitur de facto creavit eternaliter'. Et cum dicitur quod in perpetuis non differunt esse et posse, dico quod Philosophus ibi nihil aliud vult dicere nisi quod illa que sunt eterna non prius habuerunt posse esse quam fuerunt, ut expositum est superius in solutione tertii argumenti contra primam conclusionem, 10 quaestione.

Ad secundum dico ad punctum quod persona spiritus sanctus est ita omnipotens sicut persona patris et filii. Ad probationem, cum dicitur quod non, quia magna pars potentie ab ipso removetur, nego. Immo dico quod illa potentia divina est una potentia simplicissima omni carens parte, que tota est in qualibet persona, licet quemlibet actum suum non possit habere in qualibet persona, quod non est ex defectu potentie vel persone, ut dictum est, sed ex maxima perfectione ipsius potentie. Ideo enim persona spiritus sanctus non potest producere personam divinam, quia persona divina non potest produci a potentia divina nisi per generationem et spirationem. Ipsa autem potentia ex maxima perfectione habet per generationem in patre terminum infinitum et adequatum, scilicet spiritum sanctum, et ideo in nullo alio supposito potest producere suppositum divinum quod totum consurgit ex maxima perfectione ipsius potentie.

Ad tertium concedo antecedens et nego consequentiam. Ad probationem dico quod habere aliquid a se et habere illud ab alio non includit diversitatem vel inequalitatem rei habite, sed solum alium modum habendi, et ideo bene concedo quod alio modo pater habet potentiam divinam sicut et essentiam, quia a se et filius et spiritus sanctus ab alio. Sed ex hoc non sequitur inequalitas potentie in patre et filio et spiritu sancto.

Secunda conclusio (49ra) est quod quelibet persona eternalis cuilibet persone eternali circuminceptione est equalis. Probatur tripliciter.

Primo sic: illa que subsistunt in uno simplicissimo non separabiliter diversa necessario circuminceptione sint equalia. Personae divine dunt huiusmodi, igitur. Maior patet, quia talia necessario insunt sibi invicem equaliter, quod est in esse equale circuminceptione. Et minor apparet, quia personae divine sic sunt unum in essentia.

Secundo sic: omne quod cognoscitur ab aliquo est in cognoscente vel per se ipsum, vel per similitudinem suam, sed quelibet eternalis persona cognoscit aliam et econverso, et non per similitudinem, quia quelibet similitudo differt a re cuius est similitudo, igitur sequitur quod una est in aliam per se ipsam et econverso, igitur conclusio vera.

Tertio sic: arguit Damascenus libro 3 capitulo 6: cum natura divina per se sit in qualibet persona et ubi est natura per se ibi est et ipsa persona. Sequitur quod sicut natura divina per se est in qualibet persona ita quelibet persona est in qualibet alia. Item hec est expresse intentio salvatoris, Iohannis 14, dicentis: *Philippe, non credis quia ego in patre et pater in me est*. Cum igitur non minorem convenientiam habeat Spiritus sanctus cum patre et filio et econverso quam filius cum patre et econverso, sequitur quod eodem modo etiam spiritus sanctus erit in patre et filio et econverso.

Contra conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic: si conclusio sit vera, sequitur quod in divinis sit vera compositio. Consequens est falsum ut patet libro 1, distinctione 8. Probatur

consequentia, quia si aliquid esset in essentia divina quod non esset ipsa essentia, faceret compositionem cum ipsa. Igitur eadem ratione si aliquid est in persona patris quod non est ipse pater faciet compositionem cum patre. Si igitur filius est in patre, cum non sit ipse pater, pater esset compositus.

Secundo sic: nihil est in essentia divina quod non sit ipsa essentia divina. Igitur nihil est in persona patris quod non sit ipsa persona patris. Antecedens patet per Magistrum libro 1 di- (49rb) stinctione 8. Et consequentia patet per eundem ibidem, quia ratio sua quare quicquid est in essentia divina est ipsa essentia est quia ipsa essentia est summe simplicissima. Sed ista ratio equaliter verificatur de persona patris et de qualibet alia sicut de ipsa essentia, quia tanta simplicitate quilibet persona divina est simplex quanta ipsa essentia divina est simplex. Igitur sicut propter simplicitatem summam essentie divine quicquid est in essentia est ipsa. Sic eadem ratione quicquid est in persona patris est ipsa persona patris. Sed persona filii non est persona patris, igitur persona filii non est in persona patris. Igitur conclusio falsa.

Tertio sic: si una persona esset in alia et econverso, aut hoc esset ratione essentie, aut ratione relationis. Non ratione essentie, quia ratione essentie sunt omnino idem et eo modo quo aliqua sunt idem unum non est in alio, quia esse idem denotat distinctionem illorum quorum unum est in alio, sicut patet discurrendo per singulos modos essendi in, quia aliter idem posset esse in se ipso, nec ratione relationis, quia ratione relationis opponuntur.

Oppositum autem non habet esse in opposito in quantum oppositum est cum in personis divinis non sit aliud quam essentia, et relatio sequitur quod nullo modo una est in alia, igitur conclusio falsa.

Respondeo. Ad primum nego consequentiam. Ad probationem dico quod bene verum est quod si aliquid esset in essentia divina informative et non esset sibi realiter idem componeret cum ea. Et similliter dico quod si aliquid illo modo esset in persona quod componeret cum persona. Sed non dico personam esse in persona informative, sed tantum subsisteret et ideo non sequitur compositio. Nunquam enim est compositio aliquorum nisi ubi alterum est actus, alterum est potentia respectu illius. Et ideo ad maiorem notitiam quomodo una persona est in alia, est sciendum quod modus quo una persona est in alia non est aliquis illorum octo modorum essendi in creaturis, quos ponit philosophus 4 Phisicorum textu commenti 33, ubi advertendum est quod hec prepositio 'in' notat circumstantiam (49va) continentie. Continentia autem necessario requirit distinctionem aut differentiam aliquam continentis a contento et econverso, quia ubi est omnimoda identitas et indistinctio impossibile est aliquid esse in. Sed hec distinctio inter continens et contentum potest dupliciter intelligi: aut secundum totum quod est continentis et contenti, aut secundum partem vel quasi secundum partem. Primo modo locatum est in loco, quia locatum nihil esto loci, nec econverso. Similiter isto modo forma est in materia et quod est ad finem in suo fine et accidens in subiecto, et isto modo non est in proposito si 'in' intelligatur secundum partem. Hoc potest esse tripliciter. Uno modo quod continens sit aliquid quod non est contentum, sed non econverso, quia contentum non est aliquid quod non sit continens, et isto modo pars est in toto et species in genere, et sic non est in proposito. Alio modo quod contentum sit aliquid quod non est continens, sed non econverso, quia continens non est aliquid quod non sit contentum, et isto modo totum est in partibus et genus in speciebus: nec sic in proposito.

Tertio modo quod continens est aliquid quod non est contentum et econverso quod potest accidere, quia continenti et contento aliquid est sic commune quod utrumque essentialiter

est illud, et isto modo una persona divina est in alia, quia una est aliquid quod non est alia, et econverso, licet ambe sint una simplicissima essentia, et quod est isto modo in alio non est in alio informative, sed solum subsistenter et hic modus in creaturis non potest esse et istomodo adhuc si aliquid esset in essentia divina adhuc non faceret compositionem cum ipsa.

Ad secundum concedo quod nihil est in essentia divina quod non sit ipsa propter summam simplicitatem, quia quicquid est in ipsa est ibi tanquam in suo fundamento. Sic eodem modo nihil est in supposito divino quin sit illud suppositum, unde sicut proprietas relativa que est in essentia, sicut in fundamento est idem realiter essentie, sic etiam ipsa proprietas que est in supposito tanquam in fundamento est idem quod ipsum suppositum, sed isto modo una persona non est in alia, sed solum subsistenter, ut dictum est. (49vb)

Ad tertium dico quod una persona est in alia ratione essentie et ratione relationis et non ratione alicuius illorum precise, quia ratio essendi in est ibi quia ad talem modum essendi in exigitur unitas essentie cum distinctione relativa et potest poni exemplum similitudo est in duobus albis et sunt similia et causa huius quod similitudo sit in eis non est precise unitas albedinis, quia tunc esset idem simile sibi, nec est precise distinctio suppositorum, quia tunc album esset simile nigro. Causa igitur est similis unitas albedinis cum distinctione extremorum. Sic in proposito, ratio quare una persona est in alia est identitas essentie cum distinctione suppositorum. Dico, igitur ad argumentum quod una persona non est in alia ratione solius essentie, sicut bene probat argumentum, nec ratione solus relationis, sed insimul ratione utriusque.

Tertia conclusio est quod quelibet persona eternalis cuilibet persone eternali in omnibus non est equalis. Probatur tripliciter.

Primo sic: persone divine non sunt equales originatione vel productione, igitur. Conclusio vera, consequentia nota sed patet antecedens, quia Pater originat et producit Filium et Filius et Spiritus Sanctus non et similiter Pater cum Filio producent Spiritum Sanctum, et ipse Spiritus Sanctus non.

Secundo sic: persone divine non sunt equales in relatione, igitur. Consequentia nota, sed patet antecedens, quia aliqua relatio est in una persona que non est in alia, ut paternitas est in patre, et non in Filio nec in Spiritu Sancto. Similiter filiatio est in Filio, non in Patre, nec in Spiritu Sancto.

Tertio sic: persone divine non sunt equales in predicatione, igitur. Consequentia nota, patet antecedens, quia aliquid predicatur de una persona quod non predicatur de alia, ut dicendo Pater est principium de non principio, et hoc non potest predicari de Filio. Similiter de Filio dicitur: Filius est principium de principio et hoc non potest predicari de patre.

Conta conclusionem arguitur tripliciter secundum triplicem materiam in tribus argumentis tactam. Primo sic secundum materiam primi argumenti. Si persone divine non sunt equales originatione (50ra) sic quod una sit ab alia et non econverso, sequitur quod originatione aliqua res que est Deus est prior aliqua re que est Deus. Patet consequentia, quia persona a qua est alia et non econverso est originatione prior illa que ab ipsa procedit, sed consequens est falsum, quia sequitur aliqua res que est Deus est prior aliqua re que est Deus, igitur est prior omni re que est Deus, igitur est prior se ipsa quod non est intelligibile. Patet ista prima consequentia, quia comparativus gradus semper habet confundere sequentem terminum, ita quod terminus sequens gradum comparativum semper stat universaliter sicut dicendo homo est nobilior aliquo alio animali idem est sicut dicere homo est nobilior omni alio animali. Sic in

proposito aliqua res que est Deus est prior originatione aliqua re que est Deus, idem est quod est prior omni re que est Deus et secunda consequentia de se patet.

Secundo arguitur contra secundum argumentum. Si persone divine non sint equales in relatione, sequitur quod una sit perfectior alia. Consequens falsum, quia quelibet est infinite perfecta, immo est una sola omnium personarum perfectio. Patet consequentia quia tunc aliqua relatio esset in una persona que non esset in alia. Et ideo cum relatio divina dicat perfectionem aliqua perfectio esset in una que non esset in alia igitur et una perfectior erit alia.

Tertio arguitur contra tertium argumentum sic. Personae divine sunt una res simplicissima igitur sunt equales in predicatione. Antecedens patet ex fide et consequentia nota quia omnis diversa predicatio exigit in subiecto diversitatem aliquam aliter de eodem in quantum idem predicarentur predicata opposita, quod non est bene intelligibile.

Respondeo. Ad primum nego consequentiam, scilicet istam: una persona divina est ab alia et non e converso, igitur aliqua res que est Deus est prior origine aliqua re que est Deus. Et hoc propter illum comparativum gradum prior. Sed bene sequitur ista consequentia. Igitur aliqua res que est Deus aliqua re que est Deus est prior origine, et concedo totum residuum argumentum. Sicut non sequitur 'Socrates est aliquo homine melior, igitur Socrates est melior aliquo homine', quia tunc sequeretur quod Socrates esset melior quam aliquis homo et per consequens quod esset melior se ipso. Concedo igitur quod aliqua persona divina originatione aliqua persona divina est prior. Et similiter eodem modo quod aliqua res que est Deus etc., sed non concedo istam aliqua persona divina originatione est prior aliqua persona divina sic, et conformiter nego istam. Alia res que est Deus originatione est prior aliqua re que est Deus.

Ad secundum, nego consequentiam. Ad probationem dico quod posito quod divina relatio dicat perfectionem de quo magis inferius dicitur et quod aliqua relatio sit in una persona et non in alia, non sequitur quod una persona sit perfectior alia, quia quelibet est infinite perfecta, sed bene secundum aliquos sequitur quod una habeat plures perfectiones alia, sicut ponitur exemplum. Posito quod habeam infinitos florenos et tu infinitos regales, non sequitur quod tu sis ditior me, licet habeas aliquam pecuniam quam ego non habeo, quia quilibet nostrum tunc esset infinite dives.

Vel dicitur quod relatio divina dicit perfectionem sed solum ratione fundamenti et essentie, scilicet quod ipsa relatio est Deus, et ideo quia fundamentum relationis equaliter est in qualibet persona, non sequitur quod una sit perfectior alia, licet una habeat relationem aliam quam non habet alia, de hoc tamen magis videbitur infra.

Ad tertium, nego consequentiam. Ad probationem dico quod quelibet distincta vel diversa predicatio bene exigit aliquam distinctionem in subiecto. Et sic est hic, quia cum hoc quod tres persone sunt una simplicissima essentia stat quod sint distincte realiter, ut docet fides et ut fuit deductum questione quinta et apparet quid dicendum ad questionem.

Ad argumentum factum in principio quaestionis quia factum contra duas primas conclusiones. unum dicitur 'nulla persona divina est quanta, dico quod quantitas est duplex: una predicamentalis et accidentalis, et ista non est in Deo, alia essentialis et perfectionalis. Et ista non est aliud quam intrinsecus gradus et intrinseca perfectio cuiuslibet entitatis. Et ista est in Deo. Prima quantitas fundat equalitatem extensivam que non est in Deo. Secunda vero est qualitatem intensivam et perfectionalem que est inter divina supposita, ut dicunt due prime conclusiones.

Ad argumentum in oppositum dico quod Athanasius intelligit quod

(50va) omnes persone sunt equales in omnibus attributis et essentialibus, ut puta in potentia scientia. Iustitia idem bonitate et ceteris omnibus aliis, sed non originatione relatione vel predicatione etc.

Utrum intellectus viatricis anime unam personam deitatis sine alia valeat cognoscere. Arguitur primo quod sic, quia beatus unam personam sine alia valet cognoscere, igitur et viator. Consequentia nota, quia cum cognitio beati sit perfectior cognoscendo aliquid melius et perfectius cognoscit quicquid necessario requiritur ad cognitionem illius rei quam faciat viator, sed patet antecedens, quia quelibet persona divina est Deus, et ultra Deum non potest intellectus noster aliquid perfectius cognoscere, cum sit summum et perfectum intelligibile, et per consequens summum bonum et summum amabile, cum igitur possit summe amari et cognosci Deus per se. Et in qualibet persona salvetur ratio deitatis. Sequitur propositum. Et confirmatur, quia de facto Philipus cognoscebat filium non cognoscendo patrem propter quod dixit ad Dei filium ostende nobis patrem etc Iohannis 14.

Ad oppositum arguitur. Personae divine sunt omnes adinvicem relative, igitur. Consequentia nota, quia relativa sunt simul natura, id est naturali intelligentia. Et antecedens patet, quia in divinis omnia absoluta sunt idem, quia omnia sunt idem, ubi non obviat relationis oppositio, ut ait venerabilis Anselmus De processione Spiritus Sancti capitulo 2. Cum igitur personae divine non sint unum adinvicem, sequitur quod adinvicem sunt relativa.

Respondeo ponendo conclusiones tres. Prima conclusio est quod intellectus viatricis anime essentiam divinam absque personis non vale cognoscere. Probatur tripliciter. Primo sic: si viator posset cognoscere essentiam sine personis, sequitur quod essentia esset componibilis cum persona compositione reali vel saltem secundum rationem. Consequens falsum libro 1, distinctione octava. Probatur consequentia quia cuius constituentia sunt seorsum conceptibilia, et habentia proprias virtutes constitutum, necesse est esse compositum saltem secundum rationem. Patet: in tali composito sunt unum, et unum se habentia ut componibilia inter se vel facient acervum et sic necesse est quod sit compositum sic constitutum. Vel quod sit acervus. Cum igitur in patre sit simul persona et essentia, sequitur quod si essentia est seorsum conceptibilis a persona quod ibi esset compositio saltem rationis, quod est falsum, quia persona est tanta simplicitate simplex sicut ipsa essentia.

Secundo sic: essentia est quelibet persona, igitur quelibet persona est cognita a viatore, cognita essentia. Consequentia nota, quia impossibile est quod eadem res simplicissima, insimul sit ab aliquo cognita et non cognita, et antecedens patet per Anselmum De processione Spiritus Sancti capitulo 2. In divinis omnia sunt unum ubi non obviat relationis oppositio etc.

Tertio sic: quaecumque sunt alique rest nullum numerum penitus ponentes apud aliquem, nulla earum habet propriam unitatem, nec etiam est seorsum conceptibilis ab alia. Sed essentia et personae divine sunt talia, igitur etc. Maior patet, quia talia fundant omnino unam et eandem unitatem ex quo nullum numerum possunt facere. Si enim seorsum una esset conceptibilis ab alia, iam quelibet illarum in hoc propriam unitatem haberet, et sic faceret numerum, cum numerus sit multitudo ex unitatibus aggregata. Sed minor patet expresse per decretalem, libro 1 De summa trinitate et fide catholica, capitulo 'damnamus', ubi contra abbatem Ioachim dicitur quod essentia et tres proprietates non faciunt quaternitatem, nec essentia numerum ponit cum personis.

Contra conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic: omne prius potest intelligi non intellecto posteriori, sed essentia est prior persona divina, igitur. Maior patet, quia quando unum non est de intellectu alterius, non implicat contradictionem unum intelligi sine alio. Posterior autem non est de intellectu prioris. Minor patet, quia essentia est tres persone, et nulla persona est tres persone, illud autem est prius a quo non convertitur subsistendi consequentia, igitur.

Secundo sic: quicumque intellectus negat aliquem conceptum de aliquo et affirmat eundem conceptum de aliquo necessario seorsum intelligit illa duo, scilicet illud de quo illum conceptum affirmat, et illud a quo ipsum negat. Sed intellectus viatoris (51ra) affirmat aliquem conceptum de essentia quem negat a persona, et econverso, igitur. Maior patet, quia alias vere affirmaret idem et negaret de eodem, quod implicat. Et minor patet, quia intellectus viatoris vere intelligit, et dicit quod essentia est communicabilis, et quod persona non est communicabilis etc. Item quod persona est communicabilis et quod essentia non est incommunicabilis, igitur.

Tertio sic: illud quod per se sine alio habet rationem veritatis habet per se sine alio rationem intelligibilitatis, sed essentia divina ex se sine personis habet rationem veritatis, igitur. Maior patet, quia verum est obiectum intellectus et ideo quod per se precise sine alio est verum, per se sine alio ab intellectu potest intelligi. Sed minor probatur,

quia nulla perfectio simpliciter inest essentie per personam, immo inest personis per essentiam, veritas autem in divinis est quedam perfectio simpliciter.

Confirmatur, quia ab illo non capit quis intelligibilitatem a quo non capit entitatem, ut habetur 2 Metaphisice, texto commentii 4.

Essentia autem non capit entitatem a personis, igitur.

Respondeo ad primum: dico quod aliquid potest dici prius alio multipliciter, scilicet perfectione, duratione, tempore, loco, ordine et communitate, et omne quod predictis modis dicitur prius alio potest intelligi sine posterior excepto ultimo modo prioritatis, quia omnes alie prioritates inferunt distinctionem naturarum, sed prius communitate taliter qualiter essentia est prior persona divina, non potest intelligi non intellecto posteriori propter identitatem nature, et sic patet qualiter illa maior sit intelligenda. Ad probationem, cum dicitur illud quod non est de intellectu alterius potest intelligi sine illo. Prius autem non est de intellectu posterioris.

Dico quod aliquid esse de intellectu alterius potest dupliciter intelligi. Uno modo quia non potest intelligi sine illo, et sic dico quod essentia divina est de intellectu persone et econverso.

Alio modo, quia est pars essentialis alterius, vel ipsum constituens tranquam pars, et sic essentia divina non est de intellectu persone, nec econverso. Dico igitur quod illud quod est prius altero solum ultimo modo superius dicto est de intellectu illius cuius dicitur prior, scilicet de intellectu alteri (51rb) us primo modo et non secundo modo.

Et sic patet ad argumentum, quia illo modo animal est prius homine. Et tamen animal nullo modo est de intellectu hominis.

Ad secundum dico ad materiam argumenti quod intellectus affirmans communicabile de essentia est negans ipsum de persona, non propter hoc habet conceptum precisum de essentia a persona, sicut nec dicens rectitudinem esse qualitatem, lineam vero non esse qualitatem non propter hoc intelligit rectitudinem sine linea.

Ad probationem, quia tunc idem affirmaret et negaret de eodem. Dico quod non. Sunt enim hic duo conceptus non differentes, quia aliud non concipitur in uno et aliud in alio, sed

semper idem, differunt tamen quia aliter et aliter, nam cum dicitur essentia intellectus cadit directe super realitatem essentie et conclusive super paternitatem. Sed cum dicitur paternitas, est econverso et hoc sufficit ad tollendum illam diversam predicationem.

Ad tertium insimul et ad confirmationem, dico quod licet essentia ex se habeat rationem veritatis et entitatis a personis, tamen hoc non habet sine personis, et ideo licet non capiat suam intelligibilitatem a personis non tamen habet illam sine personis etc.

Secunda conclusio est quod intellectus viatricis anime unam personam divinam absque alia non valet cognoscere.

Probatur tripliciter. Primo sic: cognoscens unam personam in divinis, aut cognoscit illam esse ad se, aut ad aliud, non ad se. Quia nulla persona divina dicit quid absolutum, quia tunc non distingueretur ab alia, quia in divinis omnia sunt unum ubi non obviat relationis oppositio, igitur cognoscit illam esse ad aliud. Si sic, igitur cognoscit aliud, sed illud non est nisi alia persona, igitur.

Secundo sic: quodlibet predicatum quod incipit verificari de Deo per operationem alicuius creature et non propter aliquid sibi unitum predicatur de qualibet persona, sed esse intellectum amatum vel conceptum sunt huiusmodi, igitur.

Maior apparet, quia omne tale predicatum est propter aliquem novum respectum Dei ad creaturam et econverso tales autem respectus sunt communes omnibus personis de per se nisi oppositum esset ratione ali- (51va) cuius uniti. Et minor de se nota est, quia ab eterno Deus non fuit amatus conceptus vel intellectus a creatura.

Tertio sic: una res simplicissima non potest a viatore cognosci, quin tota cognoscatur, sed tres persone divine sunt una res simplicissima, igitur. Maior apparet, quia oppositum predicati infert oppositum subiecti, et minor apparet per decretalem libro 1 De summa trinitate et fide catholica, capitulo 'damnamus'.

Tunc sic: res simplicissima que est tres persone non potest cognosci quin tota cognoscatur. Igitur una persona non potest cognosci sine alia. Patet consequentia, quia quelibet persona est illa res simplicissima.

Confirmatur per Augustinum 1 De trinitate, capitulo 8. Sive audiamus domine ostende nobis filium, sive audiamus ostende nobis patrem, tantum valet, quia neutrum sine altero potest ostendi unum quippe sunt, sicut ipse ait *ego et pater unum sumus*. Si autem una persona sine alia non potest ostendi, igitur nec a nobis cognosci, quia omne quod ab intellectu nostro cognoscitur sibi aliquo modo ostenditur.

Contra conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic: una persona divina potest agere alia non agente, igitur et cognosci alia non cognita. Consequentia nota, quia per talem actionem posset quis affici ad agentem et odire quemlibet non agentem illam actionem, et per consequens solum agentem cognoscere cum omnis dilectio presupponat dilectionem cognitionem 10 De civitate Dei per totum. Antecedens patet, quia unam potest mereri alia non merente, igitur et agere alia non agente. Patet illud antecedens de persona filii qui nobis meruit, ut ostendit Magister libro 3, distinctione 18, patet consequentia quia mereri est agere.

Secundo sic una persona divina realiter est distincta ab alia, igitur una potest cognosci alia non cognita. Antecedens patet ex fide, quia Pater non est Filius nec Spiritus Sanctus, ut ait Magister libro 1 distinctione 9, et consequentia patet, quia una res realiter distincta ab alia potest intelligi alia non intellecta alias intellectus nunquam posset intelligere eas esse distinctas, nisi distincte posset unam intelligere et non aliam.

Tertio sic: ista propositio est vera 'pater non est filius, igitur. Conclusio falsa, patet antecedens, ut supra, quia persone distinguntur ab invicem, et probatur consequentia quia aut viator per subiectum illius propositionis in (51vb) intelligit filium aut non. Si non, igitur cognoscit patrem sine filio, et habetur propositum. Aut per illud subiectum intelligit filium et tunc propositio illa esset falsa 'pater non est filius' sicut ista 'filius non est filius' quod est contra antecedens. Sequitur igitur quod ad veritatem istius propositionis 'pater non est filius' quod viator per subiectum intelligat solum partem et non filium, et sic in illo subiecto cognoscit patrem et non filium.

Respondeo ad primum: negatur antecedens loquendo de actione ad extra ut intelligit argumentum. Ad probationem cum dicitur una potest mereri alia non merente, igitur et agere. Paulus negat consequentiam. Et ratio eius est quia mereri non est per se inferius ad agere, sed includit agere quia mereri includit aliquid quod non est essenziale actionis, scilicet acceptionem divinam. Sed salva sui reverentia respondeo: stare non potest, quia per ipsum mereri includit duo, scilicet agere et divinam acceptionem illius actionis, sed neutrum istorum potest una persona sine alia. Igitur nec una potest mereri sine alia.

Ad argumentum igitur nego antecedens sicut et ipse. Ad probationem dico aliter, quia cum dicitur una persona potest mereri sine alia, dico quod nulla persona divina aliquid potest mereri cum quolibet sit Deus essentialiter. Et ad Magistrum et ad omnes auctoritates sonantes quod filius meruit dico quod intendunt non quod persona filii meruit, sed quod humanitas sibi unita ita quod talis propositio solum est vera per communicationem idiomatum, sicut sunt iste 'Filius Dei crucifixus est, mortuus est, sepultus est.

Ad secundum nego consequentiam. Ad probationem dico quod alique res sunt distincte realiter dupliciter. Uno modo quod sunt distincte res, nec sunt una simplicissima res. Alio modo quod licet sint distincta realiter, tamen sunt una res simplicissima. Sic est de personis divinis, modo dico quod illa que distinguuntur realiter primo modo bene unum potest cognosci sine alio, sed non illa que distinguuntur secundo modo. Et cum dicitur quod intellectus aliter non posset eas intelligere esse distinctas, nego consequentiam, immo dico quod intellectus poterit formare unam negativam propositionem veram, cuius subiectum et predicatum significabunt idem et quamcunque rem significabit subie- (52ra) ctum illam significabit predicatum et tamen cum hoc stat quod pro aliqua re supponet subiectum pro qua non supponet predicatum, et ideo propositio erit vera.

Ad tertium patet per idem, scilicet quod subiectum istius propositionis 'pater non est filius' significat patrem et Filium et spiritum sanctum, nec sequitur quod ista sit falsa, quia licet omnes personas significet tamen supponit solum pro persona patris. Predicatum vero pro persona filii et non pro patre. Et si dicatur. Unde est hic quod ex quo subiectum istius propositionis 'pater non est filius' significat ita filium sicut patrem, quare non ita supponit pro filio sicut pro patre, dico quod hoc provenit ex diverso modo significandi, quia iste terminus pater significat patrem, ut pater est sed significat filium non ut filius est, sed ut a patre genitus est.

Tertia conclusio est quod intellectus viatricis anime cognoscens essentiam et personam potest credere se cognoscere essentiam, et non personam cognoscere. Probatur tripliciter.

Primo sic: iudeus cognoscit divinam essentiam, igitur et personam. Antecedens patet, quia notus in Iudea Deus. Et consequentia nota per primam conclusionem. Tunc sic: Iudeus

cognoscit essentiam et personam, et credit se cognoscere essentiam et non personam, igitur. Conclusio vera,

secundo sic: multi philosophi cognoverunt Deum, igitur et divinam essentiam et personas apparet antecedens ab Aristotele 8 Phisicorum et 12 Metaphisice et patet consequentia per primam et secundam conclusionem. Et tamen certum est quod non credebat se cognoscere personas igitur.

Tertio sic: intellectus noster potest cognoscere aliquid quod est noluntas credendo quod illud non sit noluntas, igitur. Similiter in proposito. Antecedens patet, supposito quod anima intellectiva sit idem quod voluntas. Aliquis potest cognoscere animam et tamen credendo quod anima non sit voluntas. Item datur exemplum posito quod ego cognoscam te et quod cognoscam Socrates qui est filius tuus. Certum est quod possum cognoscere te et tamen credere quod non sis pater. Similiter possum cognoscere Socrates filium tuum et cum hoc credere quod Socrates non sit filius tuus.

Contra conclusionem arguitur tripliciter. Primo contra materiam primi et secundi argumenti. Nullam trinitatem iudei vel philosophi crediderunt esse divinam essentiam, sed om- (52rb) nis Deus est trinitas, igitur nullum Deum iudei vel philosophi crediderunt esse divinam essentiam. Vel sic nullum Deum patrem, nec Deum filium, nec Deum spiritus sanctum iudei vel philosophi crediderunt esse divinam essentiam, sed quicquid est Deus est Deus pater, filius et spiritus sanctus, igitur nihil quod est Deus iudei vel philosophi crediderunt esse divinam essentiam. Forme arguendi sunt bone, et antecedentia sunt vera, igitur et conclusiones sunt vere, igitur et predicta argumenta assumunt falsa.

Secundo sic: quicumque cognoscit vel credit aliquam rem esse credit vel cognoscit quicquid illa res est, igitur quicumque credit vel cognoscit divinam essentiam credit vel cognoscit quicquid est divina essentia. Sed Philosophus vel iudeus credit divinam essentiam esse et Deus pater est divina essentia, igitur iudeus vel Philosophus credit Deum patrem, quod est falsum.

Tertio sic: nullus in patria potest credere se cognoscere divinam essentiam non credendo se cognoscere divinam personam nec econverso, igitur nec in via. Consequentia patet quoniam non potest dari aliqua ratio diversitati inter personam et essentiam magis in via quam in patria.

Respondeo. Ad primum dico primo quod iudei vel philosophi cognoverunt patrem et filium et spiritum sanctum, id est cognoverunt illam rem que est pater et filius et spiritus sanctus, sed non crediderunt illam rem esse patrem et filium et spiritum sanctum, sicut modo possibile est quod ego cognoscam meliorem fratrem ordinis, posito quod non cognoscam ipsum esse meliorem fratrem ordinis.

Dico secundo quod bene philosophi cognoverunt istas propositiones 'Deus est', 'Essentia divina est Deus', 'Deus est aliquid', non tamen cognoverunt nec crediderunt istas: 'Trinitas est Deus', 'Deus est trinitas', 'pater est Deus' etc. et sic patet ad formam argumenti quod maior est falsa. Similiter dico de secunda forma.

Ad secundum concedo quod iudei vel philosophi cognoverunt vel crediderunt quicquid est essentia divina, et quod cognoverunt patrem et filium et spiritus sanctus esse. Sed conceditur ista quod philosophi creatorem Deum cognoverunt, non tamen cognoverunt Deum creatorem hoc est cognoverunt illam rem que est creator vel pater filius et spiritus sanctus, non tamen cognoverunt illam rem esse creatricem, vel patrem, filium et spiritum sanctum. (52va)

Ad tertium, nego consequentiam, quia non est simile in via et in patria quia in patria habetur visio Dei clara virtute cuius erunt multe veritates evidenter note que nunc non sunt evidenter note sicut non est nunc simile de vidente Petrum a remotis qui cognoscit ipsum esse animal, non tamen ipsum cognoscit esse hominem vel Petrum, licet eadem res in re visa sit animal homo et Petrus, et tamen videns de propre clare cognoscit ipsum esse animal hominem et Petrum.

Ad argumentum in oppositum: nego antecedens et concedo quod quelibet persona est Deus et quod ultra Deum non potest intellectus noster aliquid perfectius cognoscere et Deus est summum intelligibile, et sic concedo uniformiter quod ultra rem que est persona non potest aliquid perfectius intelligere, sed dico quod in illa re persone divine continentur inseparabiliter, ut patet ex dictis.